

Letter 485: 14 July 1532, Basel, Oswald Myconius to Capito

The manuscript of this letter is in Zurich ZB ms. F 81, no. 313.

S. Nuncium teterrimum his proximis diebus ad nos per literas miserunt fratres Bernenses ex disputatione Zofingensi cum Catabaptistis, certiores se factos per Tigurinos, fratres Argentinenses Lutherō in causa eucharistiae subscripsisse. Bone Deus quam haec res nobis doluit! Literis apertis ad conspectum modo rei tam obstupebamus omnes, quotquot aderamus, ut his complicatis denuo, post horam fere tandem legeremus. Mox occurrebat enim quidnam peccatum hic esset. Nempe Tigurinos vel non intellixisse, quae superioribus diebus scripsistis (quamvis postremas literas a vobis nondum legerint) vel rumoribus aliunde nimium tribuasse. Nam si ex animo literis, quas nos reclusimus, egistis, profecto rem habere oportet, quemadmodum diximus. Dolor ille noster non propter nos erat, sed ob turbatos Bernenses. Non dubium est enim, quin tristitia sint toti perfusi, tametsi constantione interim prae se ferunt ad eandem enim et nos hortantur diligentissime. Verum quod vobis constabat ex his quae modo legeremus quinam circa sacramentum coenae Dominicae nobis esset animus, continuo Bernenses consolati sumus veritatis iudicio. Significantes quidquid hoc de negotio de nobis cert[um] habebamus. Haec scribimus, ne rumor iste a nobis iam cognitus, latius non sine ingenti malo serpat. Nam ad laycos si penetraret, videor mihi indere incendium vix extinguiibile. Monendi sunt Tigurini, ne falsis rumusculis bonos viros ita perturbent, nam inde concipi plerumque, quod postea vix, etiam veritate comperta, aboleatur. Speramus enim de nobis nos haudquaquam aberrare. Quoties nanque in mentem venit, quod Bucerus scribit (nobis vobiscum convenit) erigimur, nihil prorsus de animi vestri sententia dubitantes. Per Dominum igitur quaeso, ne hac in re procrastinatione utamini, festinandum etenim tam video, quam si hostilissimus aliquis hostis nos obsidere. De his quae in literis ad Tigurinos intellexi non est, ut multis respondeam, utpote qui sum in hac sententia, Lutherō tandem obventurum, si nos tacuerimus, quod solet insanis, dum non habent in quem saevire possint, nam sibi ipsis plerunque inanis inferitur. Quod si ob veritatem defendendam prorsus foret scribendum, ne quis putaret causae parum nos fidere, scriberetur illaesa persona cuiuspiam. Sed et illud non semel in in mentem venit, dum Lutherana video, vix fieri posse, ut animo multo plus propriae causae noceat, quam prosint, tam inepte, ne dicam impie, ni bonos saevit iste, et innocentes viros, ut etiam illis placere nequeat interdum, ad quorum voluntatem sic facit. Terrebat nonnihil fateor, dum audirem Lutherum iterum iterum in remis esse, verum ubi libellus per Ruberum, bonae memoriae, ego mox nihi redolebar, haec subinde mecum repetens, non potest bonis viris placere tam pravus libellus. Quodsi placuerit malis, nihil referet. Unum est quod hac in causa me offendit. Lutherum in nos omnes tam esse concitatum ut laboraturus sit frustra, quod ad ipsum adinet, quicumque de eo sedando conaturus est aliquid. An hic in gratiam rediturus est cum filiis diabolorum, cum schismaticis, cum condemnatis, cum pravissimis, quos sol adspexit iam hominibus? Si hoc animo esset, quo nos omnes esse haudquaquam dubito, nihil poenitus timerem. At postquam talis est, non est quod sperare queam, nisi concedamus manibus et pedibus (ut ita dicam) in sententiam eius. Quod si ad eos respexerimus, quos lucrifieri volumus, non video, quo possint adduci, nisi forte modestia nostra, non autem, si in totum veritatis defensionem scribendo deseramus. In summa si tacetur, offenduntur a nostra taciturnitate boni multi, qui per omnia cupiunt Domini veritatem auctam, si scribitur, irritatur ille, qui, meo quidem iudicio, tam abest, ut sedari possit, nisi adoretur, quam tranquillitas a mari. Quamobrem viris doctis et prudentibus, et in veritate Domini firmis equidem in hac causa lubens concedam. Tantum veritas illa Dei permaneat incolumis. Concedat largiter

Deus Optimus Maximus, ut omnia fiant ad sanctificationem eius nominis. Dolor qui est secundum carnem ob acutissimam uxoris meae incolumitatem, vix tantillum scribere permisit. Vale vix sanctissime cum tuis. Bucerum et Bedrotum salutabis nomine nostro. Basileae. XIII Iulii anno MDXXXII.

Osvaldus Myconius tuus.